

multitudines Judæorum: qui ingrati beneficiis Dei, semper contraria agebant. Unde legislator eorum perfidiam exprobrando, taliter ad eos loquitur dicens: Ego enim scio contentionem vestram contra Dominum. Et Stephanus: Dura, inquit, cervice, & incircumcisi cordibus vestris. Si quis templum corporis, hominis Dei contemplatus est tunc, cum castitatis splendore resfulgeret: parvam profecto & valde inferiorem illam prophetica lamentationem putabit: in qua barbarica manus sancta sanctorum polluisse desentur, & sacras ades ignem populasse hostilem: ubi contaminata Cherubim: & arca ac propitiatorium, tabulæque duæ lapideæ, & urna aurea lamentantur. Hæc lamentatio quam nos dessemus, tanto illa durior & amarior esse probatur: quanto verius cuncta hæc & evidenti in fidei anima quam intra illius templi parietes erant. Hoc sanctius multo fuit, quod in ea erat templum. Non enim auri & argenti metallo, sed virtutibus animi radiabat: habebat enim arcam intra se: & duo Cherubim, id est fidem Patris & Filii & Spiritus sancti sitam. Sed nunc nihil eorum apparet. Ablata sunt hæc cuncta: nudata est domus Dei omnibus ornamentis suis, cunctisque quæ divinitus consecuta fuerat spoliata muneribus, remansit deformis ac turpis: perit ab ea omne munimen, omnique custodia. Et jam non claudit ostium in ea, non servatur, sed patet ingressus omnibus malis spiritibus ac corruptelam animæ festinantibus: nulla inde turpis cogitatio, nulla cupiditas fœda repellitur. Sed si venerit fornicationis spiritus, ingreditur: si jactantia, si avaritia, & si horum nequiores & impuriore venerint: nemo prohibet, nemo propellit: nullus enim custos, nullus remansit ædituus. Nam prius sicut ad cœli secreta nullus hujuscemodi malis indulgebatur accessus: ita nec purissimam mentem hujuscemodi penetrare poterat ulla cogitatio. Sed jam nunc quomodo textus ipsius historiæ incipiat, videamus.

## COMMENTARIORUM

## HIERONYMI

## IN LAMENTATIONES

## JEREMIAE

## LIBER PRIMUS.

## Caput I.

**A**LEPH. *Quomodo sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua: domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.* Deplorat Propheta ruinam perverſi populi, & subversionem perfidæ civitatis: quæ semper contraria Domino suo sentiebat, & præceptis suis adverbatur ingrata beneficiorum Dei, Prophetas ejus persequabatur, ipsumque hæredem novissimè trucidabat. Unde in manus hostium tradita, devastata est, ita ut quæ prius diversis gentibus & provinciis imperabat, postmodum dura servitute premeretur. Quod tamen ante adventum Domini sub Chaldaica captivitate ex parte gerebatur: nunc autem post incarnationem dominicam, passionem, resurrectionem, & ascensionem Christi ad cœlos, plenius factum est: cum per Vespasianum & Titum, Romanos principes, in ultionem dominici sanguinis urbe succensa, tota gens simul, partim occisa, partim in captivitate ducta est, juxta illud quod in Danielis visione scriptum est, ubi angelus ad Prophetam ita loquitur dicens: Post hebdomadas sexaginta-quatuor occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est, & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Et paulo post: Usque ad consummationem, inquit, & finem perseverabit desolatio. Mysticè autem plangitur anima fidelis hominis, quæ quondam plena fuit numerositate virtutum: & imperabat diversis affectibus, dominans concupiscentiis carnis: postea autem à malignis spiritibus flammis libidinis succensa, destituta angelorum solatio, & carnis divino consortio: tot servitute dedita, quot vitis.

Beth. *Plorans ploravit in nocte: & lachrymæ ejus in maxillis ejus. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.* Adveniente tribulatione captivitatis propter idololatriam & enormitatem scelerum, plebs Judaica serò doluit: cum sæpius Prophetarum attestacionibus conventa, fatuus illi esset prævaricationis noxam cavere, quam post commissa penaliter lugere. Falsa ergo numina, quæ diversæ gentes in simulacris colebant, causæ fuerunt illi scandali & deceptionis, cum relicto vero Deo, falsis diis in idolorum cultura servierint, qui eis nihil in tempore vindictæ profuerunt, imò plurimum nocuerunt: intantum ut eos ludibrio & confusione dignos, inter hostes constituerent. Hinc quoque per Ezechielem peccanti Judæ dicitur: Ecce ego sulcabo omnes amatores tuos con-

tra te, de quibus satiata est anima tua, & congregabo eos adversum te in circuitu, & agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam & ignominia plenam. Juxta Allegoriam verò decepta anima diabolica suggestionem, in noctem venit futuræ perditionis, ubi gemitum dabit perpetuum sine ulla consolatione. Ipsi enim spiritus maligni, qui eam antè perillecebras voluptatum in diversa trahebant: tandem in tenebris exterioribus constitutam, perpetuis cruciatibus punire non cessant. Ut ergo hunc dolorem maximum devitet, necesse est quod in præsentis salubriter doleat: quatenus immensa bonitas Dei pro fetu præsentis temporis, consolationem illi præbeat sempiternam. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Maxilla quippe sancti prædicatores sunt, de qua nunc dicitur: Plorans ploravit in nocte, & lachrymæ ejus in maxillis ejus: quia in adversitate Ecclesiæ, illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt. Per ipsos quippe sancta Ecclesia, iniquos à vitis conterit, & quasi glutens in sua membra convertit. Unde ipsi quoque primo prædicatori vel maxillæ Ecclesiæ dicitur: Occide, & manduca.

Gimel. *Migravit Judas propter afflictionem & multitudinem servitutis. Habitavit inter gentes: nec invenit requiem. Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.* Migravit ergo Judæorum populus in dispersionem gentium propter afflictionem captivitatis: & qui ante regni principatui multis nationibus præerat: postea inter diversas gentes servitio laborabat: quia scelerum suorum merita, vindicta eos inveniebat. Spiritus autem Juda ideo de terra sua migravit: quia peccando, Dominum irritavit, & iniquitatibus suis eum ad vindictam provocavit. De quo ipse per Isaiam prophetam locutus ait: Servire me fecisti in peccatis tuis: præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Unde inter gentes deputata & fordibus eorum polluta, libertatem perdidit: & in hostium suorum manus incidit: qui eam per diversos errores ducentes, nequaquam requiescere, vel paululum respirare concedebant.

Daleth. *Via Sion lugent: eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Omnes porte ejus destructæ: Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.* Via Sion dicit lugere, hoc est, lugubres existeret: eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem, ut festiva gaudia celebrent: vel sacerdotum officia in templo expleant: quia templo succenso, muri civitatis funditus diruti, & portæ destructæ sunt. Unde omnis decor ejus squalescit, & ipsa oppressa amaritudine in filiis suis fortiter gemit. Mysticè autem via Sion lugent: quando animæ quondam in arce mentis Deum specularis actiones exteriores, post lapsum peccati, turpes atque lugubres apparent: eo quod non pristino more affectus ejus ad interna gaudia celebranda occurrant. Sed quinque sensibus corporeis, qui portarum nomine hic notantur, per desideria destructis, pateſcat aditus variis delictis: Ecclesiasticum quoque officium vileſcat, & continentia virtus mollescat. Unde Spiritus sancti suavitæ privata, tota in amaritudine vitiorum versatur.

He. *Facti sunt hostes ejus in capite: inimici illius locupletati sunt, quia Dominus locus est super eam: propter multitudinem iniquitatum ejus, parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.* Facti sunt hostes Jerusalem in capite, quando inimici illius superiores effecti, universam gentem divitiis spoliando, vinculis captivitatis subjecerunt, & in alienam terram simul cum mulieribus & parvulis ire compulerunt: Domino cui peccaverunt, justum iudicium eis retribuente. Animæ verò deceptæ, hostes sunt in capite: quando maligni spiritus ejus gaudent dominatione: qui spoliantes eam virtutibus, parvulos cogitatus ejus per varia desideria huc illicque trahendo, nullam quietem eam in animo habere permittunt.

Vau. *Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus. Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascuam. Et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentiis.* Oblata Jerusalem ab hoste extrinsecus, omnem decorem jucunditatis suæ perdidit intrinsecus: maxime cum fame, & pestilentia laborans, nullius ope sustentabatur: quoniam principes & rectores illius dissoluti viribus, pavido corde non defensionem civium, sed fugam interem meditabantur. Mysticè autem filia Sion reliquit decorem suum, quando per incuriam cogitationum, virtutum perdidit ornamentum: nec ei subveniebant principes sui, hoc est, rationabiles tractatus: cum quibus resistere debuit inimicis persequentibus: sed defecto robore fortitudinis coram hoste persequente, propulsa est in foveam deceptionis. Hac etiam sententia arguuntur negligentes rectores Ecclesiæ Dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Christiani, cum nec in meditatione legis divinæ, nec in cultu pietatis, neque in sacrarum virtutum exercitio laborare conantur: sed in luxu voluptatum per varia scelera, juxta suggestionem hostis cogentis, abducuntur. Cujus periculi malum, illos maxime respicit, qui in loco regiminis constituti, potius secularia desideria, quam mandatorum Dei sequi vestigia elegerunt. Unde cœlestis regni gloriam cum sanctis doctoribus non merentur accipere, sed cum diabolo & angelis ejus, pœnam gehennæ cogentur recipere, de qua & subditur.

Zain. *Recordata est Jerusalem afflictionis suæ, & prævaricationis omnium desiderabilium suorum: quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostis, & non esset auxiliator. Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus.* Non solum enim Jerusalem illa terrena doluit se perdere jucunditatem suam, & deliciarum affluentiam inter hostes constituta, sed etiam hæc mystica: & maximo dolore torquetur, cum in pœnis constituta, jam serò dolet se tunc negligentem fuisse, quando per bona opera & rectam conversationem potuit sibi metipſi subvenire. Non enim cum sanctis angelis non exultat, sed in inferno cum demonibus cruciata infructuose præterita peccata deplorat, juxta illud quod scriptura teste, impii in inferno dicturi sunt: Ergo erravimus à via veritatis: & justitiæ lumen non luxit nobis: & sol non est ortus nobis: lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: & ambulavimus vias difficiles: Viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia: aut quid divitiarum opulentia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra mortis: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Tunc & ipsi spiritus maligni derident otium, quod negligentes inutiliter duxerunt per præsentis vitæ spatium. Unde & nunc per Prophetam dicitur: Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus. Præcepto etenim legis, ab exteriori opere in sabbato cessatur. Hostes enim sabbata videntes irident. Cum maligni spiritus vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, unaqueque anima que remota ab externis actionibus servire Deo creditur: eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famulatur. Sancti autem viri qui mundi operibus non corpore, sed virtute sopiuntur: laboriosius dormiunt, quam vigilare potuerunt: quia in eo quod actiones hujus sæculi deridentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant: ne mens per negligentiam torpeat: ne subactio otio ad desideria immunda frigeſcat: ne ipsis desiderii bonis plus justo inferiat: ne sub distractionis specie sibi metipſi parcendo, à perfectione langueſcat. Agit hæc, & à mundi hujus inquieti concupiscentia se penitus subtrahit: ac terrenarum actionum strepitum deserit, & per quietis studium, virtutibus intensa vigilans dormit. Neque enim ad contemplanda interna perducitur: nisi ab his que exterius implicant, studiosè subtrahatur. Hinc est enim quod per se-

Tom. V.

metipsam veritas dicit: Nemo potest duobus dominis servire. Hinc Paulus ait: Nemo militans Deo implicat se secularibus desideriis.

Heth. *Peccatum peccavit Jerusalem: propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificaverunt eam, spreverunt illam: quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum.* Causam vindictæ expressit in principio hujus sententiæ: quia ob magnitudinem scelerum, Jerusalem promeruit transmigracionis excidium: ipsique qui eam deridebant, nec condolentes illi, gemitui ejus ullam consolationem præbebant. Hinc est quod per Isaiam plebi Judaicæ Dominus dicit: Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant sive conturbant. Scribæ & Pharisei, quos antè idem Propheta exactores appellaverat, non magistros, & supra illudores: qui propter munera que exercebant oculos etiam sapientium, non solum peccatores in populo non corripiebant, sed pro divitiis atque compendiis efferebant laudibus: & ipsi contrario, beatos vocabant eos, & columnas domus Dei, & cetera quæ solent adulatores dicere. Sed tales fautores, nullam in die tribulationis laborantibus consolationem præbebant, imo confusionem scelerum eorum denudabant, & cordis ignominiam manifestabant. Ille est ergo doctor Ecclesiasticus: qui lachrymas, non risum movet: qui corripit peccatores: qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem: nec prævenit sententiam judicis sui, dicente scriptura sancta: Ne beatum judices quemquam hominem antè mortem. Sed & in alio loco legitur: Qui benedicit amico mane grandi voce, à maledicente nihil differt. Unde spernentes hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur, nec obtreccionibus contristemur: sed ingrediamur rectam viam, & tritas à sanctis Prophetis semitas. Audiamus hunc Prophetam alio loco dicentem: State in viis, & videte, & interrogate semitas Domini sempiternas: quæ sit via bona, & ambulare in ea.

Teth. *Sordes ejus in pedibus ejus: nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide domine afflictionem meam: quoniam effectus est inimicus.* Sordes gestat in pedibus, qui gressum conversationis suæ malis polluit operibus: nec recordatur finis sui: & temporis iusti iudicii Dei. Unde deposita vehementer & hostium manibus tradita, nullum consolatorem habet: quia tempore opportuno, cultu pietatis honorare noluit suum auctorem. Solum in ea dominatur inimicus: quoniam Deus verus eam deseruit amicus: Unde maximo dolore contrita, miserabiliter ad Dominum clamat: Vide domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Nullo enim sibi resistente, hostis de victoria gaudet iniquus, & de potentia sua contra Dominum erigitur superbus: propriis hoc deputans viribus, non iusto iudicio Dei: quoniam juxta psalmistam: Non est Deus in conspectu ejus: pollutur vitæ ejus in omni tempore: auferruntur iudicia Dei à facie ejus.

Jod. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.* Propter peccata populi, hostilis exercitus devastat templum Domini, & omnem ornatum ejus dejicit: quod nec ingredi, nec in aliquo contingere debuit. Repulit enim Dominus tabernaculum suum in quo habitavit inter homines, & tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulchritudines sprevit. Sed & nos si non observaverimus diligenter claustra cordis nostri, & per aliquem sensuum nostrorum hostis antiquus patentem invenit introitum, ingreditur per suggestiones pravæ & illicitas concupiscentias in sacrarium animæ nostræ: ubi sancta Trinitas per fidem veram habitare consuevit: & spoliat illud decore sapientiæ, & ornatu virtutum, erimulque miserabiles, & omni confusione dignissimi.

Caph. *Omnis populus ejus gemens & querens panem: dederunt pretiosa quaque pro cibo ad refocillandam animam. Vide domine & considera: quoniam facta sum vilis.* Quanta mala passa sit gens Judaica in fame, pestilentia, & clade: divini exponunt libri, & Josephi non tacet historia. Spiritualliter verò pro pane jucunditas humanæ delectationis recipitur. Unde & nunc Propheta, cum synagoga perditos mores desereret, dixit: Omnis populus ejus gemens & querens panem. Prava quippe hominum multitudo affligitur: quia non ad votum de præsentis vitæ jucunditate satiatur. Sed & pretiosa quæque pro cibo dat: quia virtutes mentis in appetitu transitorie delectationis inclinat: & refocillari animam nititur: quia

Ecc ij

perverſis ſuis deſideriis ſatisfacere conatur. Unde bene mox ex voce illius electæ multitudinis ſubditur: Vide domine & conſidera, quoniam facta ſum vilis. Vilis quippe plebs Dei efficitur, quando pravorum numero creſcente in eis: non ſumma cœleſtia, ſed abjecta & terrena ſectatur.

Lamed. *O vos omnes qui tranſiſtis per viam: attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locurus eſt Dominus, in die ira furoris ſui.* Proprium hoc eſt dolentium, ut laborem ſuum eo majorem cæteris æſtiment, quo aliorum paſſionem non cognoscunt: quia quanto plus dolorem ſuum ſentiunt, tanto minus aliorum huic adæquari non ſentiunt. Vindemiare in die ira furoris ſui illos Dominum dicit: quia juſtitia norma dictante laboris ſui fructum jam eos merere decrevit. Sed hoc conſiderandum eſt, quare eos tantum qui tranſeunt viam ad aſcendum dolorem ſuum invitet. Qui enim præſentem vitam, non quaſi viam tranſeunt, ſed quaſi ad patriam tendunt: luctum cordis electorum conſiderare neſciunt. Illos enim ut dolorem ſuum conſiderent exquirat: quos in hoc mundo contigit animam non fixiſſe. Hinc per Salomonem dicitur: Aperi os tuum muto, & cauſis omnium ſiliorum qui pertranſeunt. Muti enim dicuntur, qui prædicatorum verbis contradicendo minimè reſiſtunt. Qui etiam pertranſeunt ſunt, quia intentionem mentis in amore vitæ præſentis dedignantur figere.

Mem. *De excelſo miſiſte ignem in offibus meis, & erudit me. Expandiſte rete pedibus meis: convertit me retrorſum. Poſuit me deſolatam tota die, mærore conſectam.* Quod de cœlo miſiſſe ignem in offibus ejus ait: ſupernam vindictam eſſe inſinuat: quæ eos interius cruciando caltigavit, quatenus agnoſcerent, cui omnimodo ſubjici deberent. Rete pedibus ſuis expandit, quia eos voluptatem ſuam uſque ad finem vitæ ſequi non permittit. Convertit eos retrorſum, ut dolorem pro luxuria ſentiret: & deſolati amicorum ſolatio, malum quod fecerant omni tempore vitæ inter hoſtes plangeant. Myſticè autem anima peccatis obnoxia: dum pro iniquitatibus ſuis à Domino corripitur, ſi introſus rediens ſalubri dolore compungitur abſtinendo ſe à peccatis, omnem luxum priſtinum in lachrymas vertit, & tanto fortius conſtringendo ſemetipſam plangit: quanto laxius per varia deſideria ſe diutius erraſſe recollit.

Nun. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum in manu ejus: convoluta ſunt & impoſita collo meo. Inſirinata eſt virtus mea: dedit me Dominus in manu de qua non potero ſurgere.* Vigilare jugum iniquitatum ſuarum in manu Domini dicit, quia tempus diu dilata vindictæ tandem in eam advenit. Quaſi dormire enim eſt, in corpore nequitia ſecurè & impunè quieteſcere: & quaſi vigilare eſt, pro commiſſo piaculo pœnas ultionis ſentiendo ſuſtinere. Unde convolutas & impoſitas collo ſuo iniquitates ſuas aſſerit, pro quo vigor virtutis ejus deſecerit: quia cumulum peccatorum, quem diuturno tempore variis tranſgreſſionibus collegit, opprimere ſe & inſirmum facere ſentit. Unde ſcriptum eſt: Funibus peccatorum ſuorum unuſquiſque tenetur: quia diſtrictus judex, facinus quod per pœnitentiam non corrigitur, inultum eſſe nequaquam patitur. De quo etiam in Job legitur: Nullum peccatum Deus impunitum dimittit. Quod autem ſequitur: Dedit me Deus in manu de qua non potero ſurgere: hoc ſive validam captivitatem Chaldaeorum, ſive Romano- rum nimis Judæos opprimentem oſtendit. Spiritualiter autem indicat, quod extrema ultio omnibus impiis, & peccatoribus inſinitæ calamitatis ſit, nec aliquando à cruciandi moleſtia ceſſet: quia in exterioribus tenebris vermibus impiorum non moritur, & ignis non exſtinguitur. Ubi qui ſemel ingreditur, ulterius jam egredi non permittitur. Quod ipſa veritas in Evangelio oſtendit, dicens: Eſto conſentens cum adverſario: & reliqua, uſque ad noviſſimum quadrantem. Quemadmodum ibi intelligitur, ubi dictum eſt: Oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis: ſemper illum regnaturum, quoniam ſemper illi erunt inimici ſub pedibus; ita & hic accipi poteſt dictum: Non exies inde donec ſolvas noviſſimum quadrantem: ſemper non exiturum eſſe, quia ſemper ſolvat noviſſimum quadrantem, dum ſempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit.

Samech. *Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adverſum me tempus ut cerneret electos meos. Abſtulit Dominus magnificos, plebis Judaicæ in tempore*

captivitatis ſuæ: quando Prophetas & ſacerdotes, quorum ope & doctrina maxime ſuſtentati ſunt, propter malitiam eorum & ſclerum multitudinem apud illos habitare non permittit, ſicut Propheta Daniel in oratione ſua teſtatur, dicens: Domine non eſt in tempore hoc princeps, nec Propheta & dux, neque holocaustum, neque ſacrificium, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, ut poſſimus invenire miſericordiam. Sic & ab anima diabolica fraude decepta: poſtquam eam inimicus intus captivam à ſtatu rectæ fidei & bonæ converſationis in conſuſionem erroris abduxerit, ſanctorum prædicatorum doctrinam & exempla ab aſpectu cordis ejus per oblivionem auferit: quatenus eam ſpoliatam virtutibus, facilius in terra aliena poſſideat, ne per recordationem ſancti dogmatis & meliorationem vitæ ad ſtatum priſtinum revertatur.

Torcular calcavit Dominus virgini filia Juda. Dicendum eſt itaque de torculari, quod juxta ſcripturæ ſanctæ conſuetudinem, interdum pro ultione atque ſupplicii ponitur peccatorum: Interdum in congregatione novorum fructuum, pro pœnis ponitur atque tormentis, ut Jeremias in præſenti lamentatione plangens everſionem Jeruſalem loquitur: Torcular calcavit Dominus virgini filia Juda: idcirco ego ploro. In bonam partem ſcribuntur palſmi pro torcularibus, octavus, octogefimus tertius. In quo torculari, & malis ſupplicia, & bonis præmia à Domino ſalvatore calcantur. Solus ipſe calcavit nullumque habuit adjutorem. Neque enim Angeli, aut Archangeli, Throni, dominationes, aut ulla cœleſtium poteſtatum humanum corpus aſſumpſit, & pro nobis paſſa eſt, & calcavit adverſarias poteſtates atque contrivit; ſed ille ſolus qui loquitur in palſmo: Salvum me fac domine quoniam deſecit ſanctus: intantum quod etiam confidentiſſimus & in fide firmiſſimus Apoſtolus Petrus timore perterritus fugeret, imò Dominum negaret. Torcular ergo calcavit Dominus virgini filia Juda, quando viri inſtructuofæ Judæorum & diu ſterili permanenti, cui per Iſaiam dicitur: Expectavi ut faceret uvæ & fecit labruſcas: captivitas oppreſſionem præparavit. Myſticæ autem animæ virtutibus inſæcundæ, & bonis operibus vacuæ, nec fidei fructum gignentis, Dominus torcular calcat: quando eam pro ſterilitate ſua & orioſitate inimica: pœnas condignæ vindictæ luere fecit. Unde ſequitur.

Ain. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam: quia longe factus eſt à me conſolator, convertens animam meam. Facti ſunt filii mei perſiti, quoniam invaluiſti inimicus.* Ideo quoque fletus ingens animæ dolentis deſcribitur: quia poſt vanam lætitiæ hujus mundi, omnis conſolatio præſentis vitæ illi auferitur: fructus maiorum operum diſſipatur, & ſolus inimicus in tormenta varia illius dominatur.

Phe. *Expandiſte Sion manus ſuas: non eſt qui conſoletur eam. Mandavit Dominus adverſum Jacob: in circuitu ejus hoſtes ejus. Facta eſt Jeruſalem quaſi polluta menſtris inter eos.* Circumdatur Sion captivitate Chaldaeorum, quaſi ſe conſolantem, & non invenit: eo quod Dominum peccatis exigentibus verum non meruit habere conſolatorem: qui eam tradidit hoſtibus ſuis ad puniendum. Ita & anima hominis credentis, quæ quondam erat ſpeculum Dei & ſupplantatrix vitiorum, cum pro malis meritis traditur ſpiritualibus nequitias, fruſtra forniſecus quaerit conſolatorem, quæ ſpiritualiter interius perdidit conſolationem. Facta eſt, inquit, Jeruſalem quaſi polluta menſtris: quia ſanguinolenta opera & carnalia deſideria noluit vitare in prava converſatione. Menſtra enim ſæditas eſt, cum per ſingulos meſes gravia atque torpentia mulierum corpora immundi ſanguinis effuſione reſtantur. Quo tempore ſi vir coierit cum muliere: dicuntur concepti fetus vitium feminis trahere: ita ut leproſi, & elephantiaci ex hac conceptione naſcantur, & ſæda in utroque ſexu corpora parvitate vel enormitate membrorum ſanies corrupta degeneret. Præcipitur ergo in lege Domini virtus, ut non ſolum in alienis mulieribus, ſed in ſuis quoque, quibus videntur legaliter conjungi, ſcriptura dicente: Creſcite, multiplicamini, & replete terram: certa concubitus noverint tempora: quando coeundum, quãdove ab uxoriſ abſtinendum ſit. Quod quidem & Apoſtolus & Eccleſiaſtes ſonant: tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Caveat ergo & uxor ne fortè victa deſiderio coeundi, alliciat virum, & maritus ne vim faciat uxori, putans

omni tempore ſubjectam ſibi eſſe debere conjugis voluptatem. Unde & Paulus ait: ut noverit unuſquiſque ſuum vas poſſidere.

Sade. *Juſtus eſt Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavit. Audite obſecro univerſi populi, & videte dolorem meum. Virgines meæ & juvenes mei abierunt in captivitatem.* Querimonia flebilis producit ad agnitionem ſententiæ juſti judicis. Poſtquam enim lamentatris calumniam enumeravit, merito ſe hanc pati commemoravit, quia juſtus judex non aliam ſerre poteſt quam juſtam ſententiam. Juſtus eſt, inquit, Dominus: quia os ejus ad iracundiam provocavit: hoc eſt juſtum judicem & natura clementem, meis pravis meritis compulſiſſe contra me ſerre ſententiam. Membra enim hominis ſicut & affectus humani, tropice Deo aſcribuntur non proprie: quia incircumſcriptum lumen, & immenſa majeſtas, liniamentiſ corporis circumſcribi non novit. Audite, ait, univerſi & videte dolorem meum, quia virgines meæ & juvenes mei abierunt captivitatem. Plurimos ad videndum dolorem ſuum invitat, quia calamitatem ſuam ultra modum grandem eſſe exiſtimat, ut aliorum compaſſione, anxietatem ſuam quodammodo leviget: dum conſolatores & ſublevatores angultiæ ſuæ ſibi adhibet. Talis eſt enim humanus affectus, ut doloris ſui ſive gaudii alios quaerit eſſe participes: quatenus eorum ſolatio, illatum onus triſtitia ſive lætitiæ facilius portet. Unde & in Evangelio ille qui ovem perditam requirit: ſeu mulier que drachmam perditam invenit, convocat amicas & vicinas, ut teſtes aſſistant, & gaudii eorum participes fiant. Quòd ergo virgines & juvenes abire in captivitatem deplorat, oſtendit ſe inde maxime dolere, quòd ſpem ſtatis ſui vidit ſubito corruiſſe. Quando enim ſobolem ſuam ſubito interire conſpexit, ſpem futuræ generationis amiſit.

Coph. *Vocavi amicos meos, & ipſi deſecerunt me. Sacerdotes mei, & ſenes mei in urbe conſumpti ſunt: quia reſtaſerunt cibum ſibi ut reſocillarent animam ſuam.* Quærendum eſt quomodo amici dici poſſint, qui amatoribus ſuis decipulam paraverunt. Verus enim amicus & fidelis, ut ſcriptura teſtatur, protectio eſt fortis: medicamentum vitæ & immortalitatis. Unde patet quòd per antiphrasim iſte amicus dicatur, qui deceptor eſt probetur. Sunt enim qui dicuntur amici, ſed magis oſtenduntur eſſe inimici: quia egrediuntur ad inſimiciam, odium, & rixam, & convitia denudant: convivæ fiunt, & ſocii menſæ: ſed non permanent in die neceſſitatis. Tales ſunt qui hodiernus carnaliter viventes, ſuis executoribus blandiuntur: ut voluptatum amatoribus magis ſint quam Dei. Et dum hoc conſentiunt, in peccati voragine eos ſecum trahunt: ita ut ſcleris ſui conſortes cruciatuſ æterni faciant illos eſſe participes. Quanta autem vis veræ amicitiaſ ſit, ex hoc intelligi maxime poteſt, quòd ex inſinita ſocietate generis humani, quam conciliavit ipſa natura, ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum: ut omnis charitas aut inter duos, aut inter paucos jungeretur. Eſt enim amicitia, ut quidam ait, nihil aliud niſi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia & charitate conſenſio. Unde rectè ſcriptum eſt: Amico fideli nulla eſt comparatio: & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Quòd autem dicit ſacerdotes & ſenes in urbe conſumptos: oſtendit quia ob tenuitatem victus, fame & ſiti perierunt. Sicut in obſidione hoſtium in Jeruſolyms (ut hiſtoria tradunt) ſæpius contigit. Myſticè autem anima quæ voluptatibus & deſideriis inſinitur, ſacerdotiſ dignitatem & maturitatem conſilii propter indigentiam ſapientiaſ & inopiam virtutum perdit. Mundus enim tranſit & concupiſcentia ejus. Agyptus vanè auxiliabitur, & baculus arundineus atque contractus innitentes lacerat, ac manum eorum perforat: nec unquam perfectam proſperitatem ſuis amatoribus conferre poteſt.

Res. *Vide domine quoniam tribulor: venter meus conturbatus eſt. Subverſum eſt cor meum in memetipſa: quoniam amaritudine plena ſum. Foris interfecit gladius, & domi mors ſimilis eſt.* Quid eſt quòd Propheta ex perſona plebis loquens, ad videndum tribulationem ſuam Dominum invitat: niſi quòd anxietatem ſuam nimiam & immenſam agnoscens, ipſius ſolummodo opem & miſericordiam ſubvenire exoptat. Sciendum eſt quòd in ſacro eloquio ventris vel uteri nomine, mens ſolet intelligi. Hinc eſt enim quòd per Salomonem dicitur: Lucerna Domini ſpiraculum hominis: quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris. Lux enim gratia quæ

deſuper venit, ſpiraculum hominis præſtat ad vitam. Quæ videlicet lux, omnia ſecreta ventris inveſtigare dicitur: quia occulta mentis penetrat: ut ea quæ de ipſa lædebant animam ante ejus flendo oculos reducat. Hinc ipſe Jeremias in anterioribus ait: Ventrem meum doleo: qui ut ventrem ſuum quid dixiſſet oſtenderet, adjunxit: Senſus cordis mei turbati ſunt. Uteri utique nomine, mens rectè accipitur: quia ſicut proles in utero concipitur, ſic cogitatio in mente generatur. Et ſicut in ventre cibi, ita continetur in mente cogitationes. Fidelis enim anima tentationibus variis fatigata, merito ſe intus forſique morte ſimili attritam deplorat. Quia foris perſecutionibus, & intus angultiſ lacerari ſe non ignorat. Sæpe enim foris flagelliſ atteritur: & intus carnali ſuggeſtione fatigatur. Unde nunc Jeremias in præſenti lamentatione deplorat, dicens: Foris interfecit gladius, & domi mors ſimilis eſt. Foris enim gladius interfecit, cum nos exterius feriens vindicta conſecit. Sed domi mors ſimilis eſt: quia & flagella quidem ſuſtinet: & tamen intus conſcientia à tentationis ſordibus conſentiendo munda non eſt.

Sin. *Audierunt quia ingemſco ego: & non eſt qui conſoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum: lætati ſunt quia tu feciſti. Adduxiſti diem conſolationis, & ſent ſimiles mei.* Anxianti animæ & laboribus afflicta, hoc videtur eſſe augmentum doloris, quòd ille in quo ſpem habuit conſolationis, differt opem afferre ſolatioſ. Necnon & hoc maxime illi dolorem ingerit, quòd eam inimici derident: quaſi ſpe fruſtrata, à Domino ſuo hanc habere calumniam. Tale eſt illud palſmiſta: Qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum. Et in Evangelio, Judæi Dominum in cruce ſuſpenſum irridebant: dicentes: Alios ſalvos fecit. Sed talis loquela, manifeſta eſt blaſphemia: quæ non lædit periclitantem, ſed interfecit blaſphemantem. Non enim eſt in ullo reprehendendum judicium Dei, quòd ſemper juſtum eſt, & juſtè diſponit omnia: ſed venerandum atque timendum: quia omnia quæcumque vult facit in cœlo, cum ſit juſtus in omnibus viis ipſius: nec derelinquat omnes ſperantes in ſe, imò orationes eorum exaudiat & ſalvos faciat eos. Sed cum juſtè Dominus unicuique ſecundum opera ſua retribuatur, videndum eſt quid ſequatur: Adduxiſti, inquit, diem conſolationis, & ſent ſimiles mei. Conſolatio ergo quæ injuſtè oppreſſis à Domino conſertur: & pœna quæ oppreſſoribus eorum merito infligitur, ex juſto judicio Dei procedunt, ut recipiat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive malum, ſive bonum: pœna eſt reproborum, qui aliena felicitate cruciantur. Adducit ergo divina clementia poſt illatam ſervis ſuis flagelliſ correptionem piæ converſationis paternam conſolationem, ut poſt diuturnum laborem, habeant reſpirandi poteſtatem: & de contrario tortoribus eorum poſt vanam mundi lætitiæ, juſtæ damnationis reddet diuturnæ calamitatis mœſtitiæ, ut recipiant in ſemetipſis quod iniquè geſſerant in proximis: Sicque ſit ut patientia ſanctorum cororetur, & injuſtitia iniquorum puniatur.

Thau. *Ingradiatur omne malum coram te: & vindemia eos ſicut vindemiaſti me, propter omnes iniquitates meas. Multi enim gemitus mei: & cor meum marens.* Hoc quippe orat fidelium turba, ut rememoretur in conſpectu Dei perſecutorum ſuorum plaga: quatenus eos per condignam vindictam juſtum judicium Dei corripiendo humiliet: qui ſuperbiendo multiplice perſecutione non timuerunt conſeſſores Dei fatigare. Vindemiare enim eſt unumquemque operum ſuorum fructum metere. Vindemiatur enim Dominus hoſtes ſuos qui ſanctos ejus vindemiaverunt, quando pro contritione temporali, qua illos approbatione opprimere permiſſi ſunt, in futuro judicio perpetuam faciet recipere ultionem. Sed hoc intamandum eſt, quòd quando ſancti viri deprecatorio more contra hoſtes ſuos rogant: non voto malitiaſ, ſed ſpiritu prophetiaſ, hoc quòd eis præſciunt futurum prædicant: vel etiam contra ſpirituales nequitias orant: quas incorrigibiles eſſe ſciunt, ut juſtam à Domino recipiant ſententiam. Hinc eſt illud quòd in palſmo Propheta Dominum contra nocentes ſe precatur, dicens: Judica domine nocentes me. Aſſumpta pro nobis clamat inſirmitas, ut damnetur nocentes: id eſt, diabolus cum miniſtris ſuis, quòd noverat eſſe venturum. Malos enim judicari, damnari eſt: quia nequeunt in diſceptione liberari, qui ſemper pravis actionibus probantur impliciti. Sed hoc, ut dictum eſt, ad diabolum pertinet cum ſequacibus ſuis: per quos provenit Judaicæ voluntatis iniquitas. Nam cum ipſe præcipiat, pro inimicis veſtris orate: hominibus